



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De dignatione Creatoris cooperantis cum creaturis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

solita, atque à tota cœlesti curia æternum suspicerentur, amarentur, glorificarentur. Quam mirè enim hæc omnia resplendebunt in humana natura, tam potenter condita, tam sapienter reparata, tam misericorditer iustificata? tam mirabiliter in gratia conseruata? tam liberaliter gloria coronatâ?

O quanta illa dignitas hominis, quanta dignatio SS. Trinitatis! quanta ergò contentione cuique ad laborandum esset, vt, per assiduum studiũ eximix perfectionis, eximium consequeretur gradum gratiæ sanctificantis? quò enim maior in hac vita euaserit in gratia, eò lucidius euadet speculum perfectionum SS. Trinitatis in futura. Gratitude, amor, zelus eximij profectus in omni perfectione.

*De dignatione Creatoris cooperantis
cum Creaturis.*

III.

*Ex eadem
medit. p. 3.*

I. **S**ANCTISSIMA Trinitas, cuius opera, ad extra, sunt indiuisa, non solum te, omnesque creaturas in seruitium, solatiumque tuum conditas, quoad esse & posse naturale, conseruat; sed etiam cum omnibus & singulis earum, vti & tecum in omnibus & singulis actionibus naturalibus coopera-

peratur per concursum suum ordinarium, quem omnibus agentibus naturalibus, tam necessarijs quam liberis proportionatum promptissimè offert: idque ex gratuita bonitate sua, eo fine, ut tu illo sanctè utaris ad finem tuum ultimum maioris gratiæ & gloriæ consequendum.

Quanta illa dignatio Dei tui tecum in omnibus phycis memoriæ, intellectus, voluntatis, aliarumque potentiarum & sensuum operationibus quodammodo laborantis, imò per omnes aliarum creaturarum tam rationabilium, quàm irrationabilium operationes te instruens, adiuuans, oblectans; per magistrorum voces erudientis; per lumen Solis, Lunæ, Stellarum, ignis te illuminantis; per colores visum, per sonos auditum, per odores olfactum, per sapes gustum, per aeris temperiem tactum recreantis; per ignem, solem, vestes calefacientis; per ventum refrigerantis; per eibum, potum, somnum vires reficientis.

Hæc expendens, an nō admirandum meritò exclames: *Quomodo delectare me, in factura tua, & in operibus manuum tuarum dignaris Deus meus? Omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi?*

sibi? Quanta ergò reuerentia, filiali timore, amore, zelo eximię perfectionis seruiendum tali Domino, qui sic collaborare dignatur cum tali mancipio? Admiratio, amor, feruor proficiendi.

II. Idem Deus trinus & vnus similiter cooperatur tecum, & cum omnibus agentibus liberis, in omnibus & singulis cogitationibus, desiderijs, & actionibus bonis ac meritorijs, non solum per generalem præfatum concursum, sed etiam per peculiarem influxum gratiæ præuenientis, comitantis, subsequenter, quem tam liberaliter vtrò etiam non rogatus offert; ad omnia & singula bona desideria & opera, gratia excitante impellendo, eadem cœpta gratiâ comitante prosequendo, & gratia subsequente perficiendo, idq; ex eadem gratuita dilectione sua ad augendum meritum viæ, & brauium patriæ.

Quantò illa dignatio admirabilior priore! quàm longè excedit omnem paternam, maternamq; prouidentiam ac sollicitudinem in filijs, ad maiores diuitias & honores prouehendis? Quã promptum paratumq; animum ad omnem eius nutum te fingendi formandiq; vicissim exigit! quid enim æqui-

æquius, quam vt in omnibus diuinæ
eius te accommodes voluntati, qui se
tuæ tam promptè accommodare di-
gnatur? Gratitude, amor, feruor co-
operandi gratiæ, & se totum diuino
perfectè impendendi obsequio.

III. Demùm idem benignissimus Do-
minus tecum, & cum Beatis omnibus
in cœlesti patria cooperari dignabitur
in omnibus internis externisque acti-
bus, quoscumque elicient in omnem
æternitatem: cum singulorum memo-
ria, intellectu, voluntate, alijsque po-
tentijs & sensibus gloriosi corporis
concurrente ad eliciendâ, æternumque
continuandam visionem, amorem &
gaudium beatificum, omnisque glo-
riæ & gaudij accidentalis tam animæ,
quàm corporis perfruitionem.

An non hæc postrema dignatio tan-
tò adhuc prioribus mirabilior, quan-
tò felicior, diuturnior, diuinior? quã
æquum, vt te totum in tempore eius
impendas gloriæ, qui se totum in
æternitate impendet tuæ?

Affectus ijdem.

(:.)

Quod